non pariũtur: quæ à nobis non excogitantur: ita.n. cum omnẽ hunc locũ uertit in II. de oratore Cicero, uim huius uerbi expressit. πορίσασθαι adipisci alibi reddidit. προ πόρχεν autem interpretatus est: cum eodem in loco, sed in re positæ, ratione tractantur, inquit. addit autem: ut sunt testes: quęstiones, & quæcunq; huiuscemodi sunt. extrema autem uerba ex antiquissimo libro accepta, restituí cum in excusis illa defecissent, sed uetus etiam tralatio illa exprimit. Non solas autem duas has esse planum est, cum ipse in extremo libro hoc quinque earum genera tradat.

Εντεχνα δὲ, ὅσα διὰ τῆς μεθόδου, καὶ δι' ἡμῶν κατασκευασθῆναι δυνατόν.

Voco autem ἔντεχνα, quæ ratione ac uia indagamus, atque artis pręsidio cõflamus: quæ scilicet excogitari à nobis, & cum inhæreant in ipsa re, eruí inde industria nostra possunt: neque enim traduntur in manus oratorib. ut quæ sine arte uocauit.

Ὥστε δεῖ τούτων τοῖς μὲν, χρήσασθαι: τὰ δὲ, εὑρεῖν.

Hæc quoque uerba manifestò expressit Cicero cum ibidem inquit. Ita in superiore genere de tractandis argumentis: in hoc autẽ etiam de inueniendis cogitandũ est: quod enim iam partum est, quomodo tractari debeat, cogitandum. ut cum usus uenerit, aptè ipso uti possis: quamuis enim artis expertes hæ probationes sint, non temerè tamen, atque inconsideratè sunt explicandæ: quæ enim artificio, ut inuenirentur gignerenturque, non eguerunt (antea enim erant, & ad oratorem deferuntur) summo consilio, siquis fructum ex ipsis capere uelit, tractandę sunt.

Τῶν δὲ διὰ τοῦ λόγου παρεχομένων πίστεων τρία εἴδη ἐστίν.

Tria (inquit) genera sunt probationum illarũ, quas acquirimus, paramusque dicendo. Intelligit autem quas supra ἐντέχνους uocarat: participes artis aut artificiosas, Cicero appellauit. Halicarnasseus quoque in uita Lysiæ in tres partes has diuidi solere inquit: enumerans autem illas, rem, affectus animi, moresque appellauit. quæ à re duci ipse dixit, Aristoteles in oratione positas affirmauit. nominib. igitur discrepant: re tamen inter illos de hoc quoque, ut de duob. alijs generib. conuenit.

Αἱ μὲν γάρ εἰσιν αὐτῷ ἤθει τῷ λέγοντος: αἱ δὲ, ἐν τῷ τὸν ἀκροατὴν διαθεῖναί πως: αἱ δὲ αὐτῷ τῷ λόγῳ.

Cum tria genera probationum esse dixisset, ostendit nunc id uerum esse, enumeratq; illas: hæ nanque (inquit) sunt in uita & moríb. dicentis, oratione scilicet ipsius expressis. Hæ uero in hoc positæ sunt, si eum qui audit, ut oratori ipsi opus est, affectum animo reddiderit. Tertium genus in oratione ipsa manet, quod cuiusmodi sit, statim explicat. Hunc autẽ locũ penè expressit Cicero in ij. de oratore, cũ inquit. Nam hoc necesse est, ut is, qui nobis causam adiudicaturus sit, aut inclinatione uoluntatis propendeat in nos, aut defensionis argumentis adducatur, aut animi permotione cogatur. De postremis duab. rationib. persuadendi, dubitari non potest. Prima tamen tradita ab ambobus non omnino eadem est: neque .n. in propensione iudicum uoluntatis positam illã dicit hic noster, ut Cicero manifesto uult: uerum in bona existimatione, quæ de dicentis probitate, oratione illius percepta: cognitaque uoluntate, in ipsis orta sit: nec quod inde eum diligere incipiãt animaduertit Aristoteles, sed quia proborum hominum sermoni maior fides habetur: cuncti enim bonos uiros, dignos esse putant, quib. credatur. quod si uetus ipsorum amor: inclinatioq; uoluntatis in dicentem, spectaretur, non esset hæc probatio oratione parta: de quibus hic solis philosophus disputat. Præterea trium harum probationum, primam, in persona actoris: secundam, in eius qui audit: Tertiam, in oratione ipsa manere uult, cum Cicero personam actoris relinquat, ac tertium numeret auditorẽ: cum, aut sponte gratificatur oratori: aut ui adhibita cõmotoq; ipsius aio abripitur, ueritasq; ipsi extorquetur: aut auditis argumẽtis ac rationib. persuadetur.

Διὰ τοῦ δεικνύναι, ἢ φαίνεσθαι δεικνύναι.

Cum aut probes aliquid, aut probare uideare: quod argumenta, quib. utaris aut uera firmaq; sint, aut inania & falsa: antea.n. docuit posse oratorem & ueris & fallacibus uti conclusionibus, & quamuis falsis argumentis utatur, quæ tamen speciem aliquam